



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Alia motiva eas vitandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS V. NOVITATES.

§. I.

Christus D. eas vitat.

Cum jejunasset quadraginta diebus &c. Matth. 4. 2. Cur Christus elegit ad jejunandum numerum quadagesimum? Ne excessus jejunii pariat admirationem, & quid inauditum introducat. Poterat enim Christus jejunium Moysis, & Eliae, transcendere; sed, pro singularitate vitanda, noluit. Id. c. 3. hic q. 8.

Penitentiam agite. Matth. 4. 17. Cur Christus D. iisdem Joannis Matth. 3. 2. verbis suam inchoat praedicationem? Cajet. hic. Observandum, quod Jesus ab eadem materia inchoat suam praedicationem, à qua inceperat Joannes: tum quia Joannes preparatione, Jesus vero perfectione, hanc materiam praedicabat: tum ad confirmandam praedicationem Joannis: tum ad exemplum nostrum; ut non dedignemur inchoata ab aliis, etiam minoribus, bona prosequi. Sylveira l. 3. c. 1. q. 20. de Joanne praedicante.

Non veni solvere legem. Matth. 5. 17.

Alii Joannem Baptistam &c. Matth. 16. 14. Cur dicunt eum unum ex defunctis Patribus? Venit Christus novas homines in hunc Mundum; cur non dicitur, & judicatur, novus homo? Fugiebat novitates: eosque mores in suis actionibus exhibebat, qui jam erant in aliis agniti. Id. in Joan. 5. q. 19. Nemo in Jesu cornebat, quod non veterum moribus confirmatum. Baeza t. 2. l. 10. c. 5.

Deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Marci 7. 32. Cur impositione manuum Christus hunc miserum sanat? B. Veterum morem Christus tenere voluit, qui idem fecerunt: ut Elias, & Elizeus 3. Reg. 17. 21. 4. Reg. 4. 34. Sic optat fieri leprosus Naaman 4. Reg. 5. 11. Sylveira hic. q. 5.

Quaecunque ille (Pater) fecerit, haec & Filius similiter facit. Joan. 5. 19. Cur unus tantum sanatur à Christo? sicut angelus unum sanat, ita & Dominus; nec plures, licet pos-

set. Unde arguuntur, qui in suis actionibus novitatem affectant, & supra alios aliquid addere conantur. Sylveira hic q. 19.

Expuit in terram, & fecit lutum. Joan. 9. 6. Sumpsit Dominus lutum de terra, & plasmavit hominem: quapropter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & superlinxit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem. S. Irenaeus l. 5.

Maria-Unxit pedes Jesu. Joan. 12. 3. Ne peregrinae adventionis studeas superinducere novitatem: nam & ipse, qui est Magister Angelorum, in caelo, morem in terra tenuit, quem invenit; nec designatus est, terrenam servare consuetudinem. Nam cur sibi caput, & pedes, unguento confregit mulier ministerio passus est? nisi, quia Palaestinae, atque Judaicae, regionis mos erat, ut ejus accola crebrius ungerentur, Petrus Dam. ep. 106.

§. II.

Alia Motiva eas vitandi.

Deus Patrum nostrorum. Judith 6. 17. Cur Bethulienfes inchoant sermonem hoc titulo? Est frequentior in Scriptura. Ex. 3. 15. Deut. 1. 11. Jos. 18. 3. Act. 3. 13. Credo Hebraeum hac loquendi formam laudatum ab antiqua fide, ac monitum, ne à sacra parentum via abeat. S. August. lib. de anima: semper viris sanctis suspecta novitas. Velloso hic Patrum. 12.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Matth. 15. 2. Non erant traditiones Majorum; sed depravationes ab eis inventae, quas colorare volebant nomina majorum, ad introducendas suas novitates, semper enim sanctionum novitas placet improbis. Unde Paulus 1. Timoth. 6. 20. *de vitans profanas vocum novitates.* Sylveira addit in Matth. hic.

Habet hoc proprium humanae mentis fragilitas; quod promptius novitatibus, quam summis veritatibus, delectetur. Sim. Cass. lib. 9. c. 34.

TITULUS VI. NUPTIÆ.

Converse sunt nuptie in luctum. 1. Machab. 9. 41. Sic saepe in Mundo plausus vertitur, & extrema gaudii luctus occupat. Cornelius hic.

Vocatus est autem & Jesus ad nuptias. Joan. 2. 2. Felices nuptiae; felices illae, quibus Christus est praesens; non luxu, sed virtutibus consecrantur. S. Chrysol. l. 157. Vocant om-

nes Christum ad nuptias; ut aut eas ex toto castificent; aut nihil in iis agant, quam Christiferam deceat sanctitatem. Sim. Cass. lib. 5. cap. 1.

Non tantum boni est in nuptiis, quod speramus; quantum mali, quod accidere potest, & timendum est. S. Hieron. ep. 11.

Vide plura Matrimonium.

Polyanti, Sacra, Tom. II,

A a

T1-